

extra Provinciam non potest, nisi et privilegium habeat et accedat consensus Archiepiscopi provinciae illius. Ex eodem principio sequitur, Pallium unius Provinciae non posse ab Archiepiscopo adhiberi, si in aliam sedem archiepiscopalem transferatur, sed pro nova sede archiepiscopali novum pallium petere debet.

Tertium principium est Pallium est personale. Hinc ex c. 2. h. t. Archiepiscopus non potest illud alteri Archiepiscopo commodare aut donare, sed secum retinere debet tanquam signum personale dignitatis, ita ut quando Archiepiscopus demoriatur debeat cum pallio proprio sepeliri, videlicet pallium cadaveri imponitur. Quod si Archiepiscopus de una in aliam sedem archiepiscopalem fuerit translatus, sepelitur cum utroque pallio, ita ut pallio recentioris Ecclesiae cadaver decoretur, aliud autem antiquioris sedis vel debeat collocari sub capite, vel extendi supra corpus. Ita Ostiensis et Abbas in c. 2. h. t.

TITULUS IX.

De renunciatione.

1. Explicatis modis, quibus praelati constituuntur in dignitate ecclesiastica, et signo jurisdictionis, quo quidam eorum decorantur, modus describitur quo dignitas plerumque amittitur. Renunciatio quae etiam dicitur resignatio capp. 5. et 8. h. t. definitur: 'spontanea cessio seu dimissio proprii Beneficii facta ex aliqua justa causa coram legitimo superiore illam acceptante'. Haec definitio satis clare exprimit conceptum rei definitae: eam tamen melius explicabimus cum qualitates renunciationis exhibebimus.

2. Interim de divisione renunciationis agendum est. Renunciatio alia est tacita alia expressa. Tacita renunciatio obtinet cum quis censetur Beneficio renunciare voluisse per liberam positionem alicujus facti, quod de animo renunciandi explicari debet, et aliter explicari nequit. Ut vero tacita resignatio habeatur, duo requiruntur 1º. ut factum libere ponatur; si enim ex coactione ponatur, non potest considerari ceu iudicium voluntatis renunciandi Beneficio. 2º. Requiritur ut factum sit concludens, i. e. aliter explicari nequeat, saltem ex dispositione juris illud factum interpretantis tanquam indicium renunciationis.

3. Haec vero facta plura sunt. Primum factum describitur in capp. 2. et 3. de Clericis Conjug. si nempe Clericus minor qui

beneficium possidet matrimonium ineat. Conjugalium enim status saltem in Ecclesia Latina incompatibilis censetur cum clericali militia et officio sacro beneficiorum. *Cap. 5. de Clericis Conjug.* Beneficium enim constituit stationem seu positionem qua persona divino servitio in particulari ecclesia mancipatur. Qui autem cum uxore est sollicitus est quae sunt mundi quomodo placeat uxori et divisus est 1. Cor. 7. Quare ipso jure vacat Beneficium. — 2º. Si quis Beneficium possidens Religionem approbatam ingrediat, ibique vota nuncupet, ex *tit. de Regul. et trans. ad Relig.* censetur renunciasse Beneficio. Cui factum simile est aliud, si nempe Clericus factus sit miles, et militiae statum serio assumpserit. *Glos. in cap. ult. de Cleric. non resid.* Censetur enim beneficium suum habere pro derelicto. — 3º. Factum quod inducit tacitam Beneficii renunciationem est acceptatio alterius Beneficii cum priore incompatibilis c. 28. de *Præb. et Extrav. Execrabilis eodem tit. inter Commun.* Non potest enim dari juridica possessio simultanea duorum beneficiorum, quorum utrumque intentione juris clerici stationem defigit.

4. Haec tria facta exhibent renunciationem tacitam ex praesumptione juris, ita ut positis hisce factis retinenda sit renunciatio etiam contra invitum. Duo exempla tacitae renunciationis traduntur, quae revera positivam renunciandi voluntatem demonstrant. Primum exemplum affert c. 3. *De his quae fiunt a major.* in quo lite pendente inter duos ut praeposituram Augustensem consequerentur, traditur Pontificem uni praeposituram adjudicasse ex tacita alterius renunciatione; hic enim alter priori obsequium et reverentiam Praeposito debitam praestiterat. Secundum exemplum exhibet c. 3. h. t. Quidam Clericus Ecclesiae alicui adscriptus bona sua eidem contulerat. Vitam inde monasticam eligens, in quoddam monasterium recipi cupiebat, fecitque sibi restitui bona, quae priori Ecclesiae tribuerat. Hoc factum bene exprimit contrariam intentionem redeundi ad illam Ecclesiam, ac proinde explicandum est et recipiendum ceu tacita renunciatio. Hinc mutato consilio de vita monastica suscipienda, Clericus ille jus non habet ad Ecclesiam pristinam revertendi ut inter Clericos qui de bonis Ecclesiae ejusdem sustentantur recipiatur.

5. Expressa renunciatio est quae vel verbis vel scriptis perficitur voluntatem beneficium resignandi declarantibus. Res per se nota est. Indifferens est autem utrum quis per se ipsum per-

ficiat, vel per alium id est per procuratorem, qui ad renunciandum specialiter sit constitutus *cap. penult. de Procurator*. Speciale autem mandatum requiritur; procurator enim etiam ad universitatem causarum seu negotiorum constitutus cum alienare non possit, nec cedere juri, nec Beneficium nostrum resignare potest.

6. Renunciatio est vel pura vel conditionata. 1. est cum nulla conditio adjicitur aut pactum. 2. quæ habet adjectam conditionem vel pactum vel modum. Ex. gr. si renunciaretur Beneficium cum pacto aliud obtinendi, vel cum conditione ut ab aliqua determinata persona obtineatur etc.

7. Primum explicabimus qualitates renunciationis in genere et præsertim puræ, deinde de conditionatis renunciationibus distincte agemus.

Ex ipsa definitione patet quatuor dotibus fulciri debere renunciationem: 1^o. ut sit libera, 2^o. proprii beneficii, 3^o. ex justa causa, 4^o. acceptetur a superiore legitimo. — Debet esse libera; nam secus deesset consensus resignantis, saltem plenus. Quod si aperte violentia facta est, renunciatio nulla prorsus est ex *Clem. 2. de pœnis*. Si vero metu aut fraude extorta fuerit, licet per se sustineatur et valeat, tamen ex iudicis sententia rescinditur: arg. c. 5. h. t. Cui consonat dispositio juris civilis in L. 1. 7. et q. ff. *Quod metus causa*.

2^o. Renunciatur proprio beneficio. Loquimur in titulo de proprie dicta renunciatione, quæ nempe importat recessum a statione ecclesiastica quam quis jure possidet, quæ proinde renunciatio exigit superioris consensum. Quo posito hæc renunciatio locum habere non potest nisi quis pleno jure habeat beneficium tanquam proprium; secus enim non est in juridica statione ecclesiastica a qua recedat auctoritate superioris. Hinc qui habet tantum jus ad rem per electionem, potest recusare illud, nec adstringitur ad renunciationem formalem in sensu tituli edendam; hinc qui est a patrono præsentatus, et nondum institutus in beneficio; quoniam jus completum in beneficio non habet, si illud recipere nolit, non tenetur formalem emittere renunciationem, sed sufficit si declaret se velle abstinere a beneficio acceptando.

8. Quæritur utrum quis semper possit proprium beneficium resignare? Quandoque resignatio prohibetur ita ut sit invalida. Et primo quidem in *sess. 25. c. 16. Conc. Trid. de Regular.* constitutum est ut qui ingressi sunt Religionem non possint valide

perficere quamcumque renunciationem nisi fiat intra duos menses proximos ante professionem, et accedat licentia Episcopi vel ejus Vicarii generalis, quæ renunciatio habere non potest effectum nisi post editam professionem. Hinc si ante duos menses qui professioni præcedunt, novitius renunciationem perficit absque Episcopi vel ejus Vicarii consensu, nulla est, licet fuerit jurata. Porro hæc dispositio respicit novitium, et inducta est ad tuendam libertatem professionis, quæ forsitan libere non fieret post cessionem plenam bonorum suorum. Quare non respicit resignationes factas ante assumptum habitum religiosum, licet factæ fuerint intuitu ingressus in religionem futuri, quæque videantur factæ in fraudem decreti conciliaris. Nam pœnæ sunt strictæ interpretationis.

2^o. *Ex Const. S. Pii V. 'Quanta Ecclesie'* diei 1. Aprilis 1568 nullus sacro ordini mancipatus valet ullo modo beneficium vel officium ecclesiasticum resignare nisi aliunde ei præsto sint media, quibus possit commode sustentari.

3^o. Ex dispositione *Conc. Trid. sess. 21. c. 2. de Ref.* clericus nequit resignare beneficium quod constitutum fuit in titulum sacrae ordinationis, et non valet renunciatio nisi in renunciatione hæc qualitas exprimitur, et aliunde commode vivere possit.

4^o. Beneficia litigiosa in favorem tertii ex quolibet titulo etiam permutationis non possunt resignari. In fraudem enim colligantis fieri præsumitur resignatio, ut scilicet potentior adversarius opponatur. Arg. c. 1. *de alien. judicii mut. caus. et c. 2. Ut lite pend. in 6^o*. Possunt vero resignari in favorem colligantis. Cessat enim ratio descripta. Cæterum non prohibetur renunciatio pura et simplex beneficii litigiosi facta superiori qui eam acceptet. Beneficia autem dicuntur esse litigiosa, cum causa cœpta est coram iudice; ita ut talia non fiant per extrajudicalem prohibitionem possidendi vel fructus percipiendi. *Clement. 2. Ut lite pend.*

5^o. Quinto loco prohibita est renunciatio beneficii, quæ adversatur vel juri reservationis Rom. Pontificis, vel juri unionis quod competit Episcopis. Competit sane Rom. Pontifici jus reservandi sibi collationem aliquorum beneficiorum, quæ bene de ecclesia universali meritis concedat. Proprium etiam est Episcoporum jus uniendi quædam beneficia sine præjudicio eorum qui ea actu obtinent, vel pauperi Ecclesiæ, vel seminario. Primum jus Episcopi traditur in *c. 5. sess. 21. De Ref. in Conc. Trid.* Constat secundum jus ex *c. 18. sess. 23. de Ref.* Hisce juribus Rom. Pontificis,

vel Episcoporum adversatur renunciatio beneficii vel reservati, vel uniti ab Episcopo pauperi ecclesiae aut seminario, si renunciatio fiat ex causa permutationis, vel in favorem tertii. Posita enim hac renunciatione beneficium vel serius vel nunquam forsitan sub dispositione Pontificis, aut Episcopi esset. Dixi nunquam posset esse sub dispositione dicta; cum eludi posset si unus alteri, hic alter tertio atque ita porro beneficium resignaret successione indefinita. Hinc horum beneficiorum fieri potest solummodo resignatio pura absque conditione.

9. Tertia qualitas renunciationis est legitima ejus causa. Justa vero causa requiritur in renunciationis negotio; nam cum clerici beneficio aliquo instructi veluti in propria statione esse censeantur in qua Dei servitio aut animarum bono mancipantur, non debent irrationabiliter et pro libito beneficium relinquere; nec a superiore admitti debet irrationalis renunciatio, ne facile foveatur vagandi et permutandi cupiditas. Hinc in c. 1. h. t. ab Alexandro III. rejecta est renunciatio Episcopi Londinensis quia ratione commendabili non fulciebatur. Adducebatur enim senectus, et summus Pontifex prae oculis etiam habens specialem conditionem illius temporis in regno Angliæ, renunciationem exclusit *'quia in te'*, aiebat, *'rigor devotionis et fidei, etiam corpore senescente non deficit; sed vergente deorsum conditione corporea, fervor spiritus in sublimiora conscendit'*. Imo ex cit. Bulla S. Pii V. n. 58. *Quanta Ecclesie Dei videtur interdicta Ordinariis acceptatio renunciationum sine legitima causa propositarum sub pœna nullitatis earundem.* — Causæ autem renunciationis quæ communiter adsignantur præsertim pro episcopatibus uti legitimæ describuntur ab Innocentio III. in c. 10. h. t. et duobus versiculis continentur, et in summa capitis ejusdem referuntur:

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,

Quem mala plebs odit, dans scandalum cedere possit.

10. Prima causa est debilitas seu imbecillitas corporis quæ ex senectute vel ex morbo procedit. 'Nec tamen', ait Innocentius in eod. c. 10., 'omnis debilitas corporis, sed illa solummodo, per quam impotens reddatur (Episcopus) ad exequendum officium pastorale'. Quare si sufficienter adhuc persolvi possit pastorale officium ob solam rationem senectutis, vel alicujus infirmitatis, præsertim si de Episcopo agatur, renunciatio admittenda non est. Quemadmodum enim animadvertit Alexander III. c. 1. h. t. 'ver-

gente deorsum conditione corporea, fervor spiritus in sublimiora potest conscendere'; et quemadmodum notat Innocentius III. in c. 10. h. t. 'interdum non plus hortatur senilis debilitas aliquem cedere, quam moralis maturitas, quæ in senibus esse solet, ipsum (Episcopum) in suo suadet officio permanere . . . quia nonnunquam corporis infirmitas fortitudinem cordis augmentat'.

11. Secunda causa est defectus scientiæ competentis, quem quis experitur in exercitio sui muneris. Competens autem, idest mediocris scientia toleratur; quam, ut ait Pontifex in c. 10., supplere potest perfectio charitatis.

12. Tertia causa est conscientia admissi criminis, quod etiam post peractam pœnitentiam non sineret esse honorabile ministerium atque executionem officii in Ecclesia. Hujusmodi traduntur esse crimina homicidii, simoniæ, uno verbo crimina quæ infamiam in populo pariunt.

13. Quarta causa est conscientia irregularitatis in qua non solet facile dispensari, ex. gr. bigamia. — Quatuor hæ causæ ipsum renunciantem potius respiciunt, sequuntur binæ quæ potius sunt ex parte subditorum, qui pastoris sui solatio amplius non fruuntur, nec emolumenta spiritualia ex ejus ministerio habent.

14. Prima est odium malæ plebis, quæ verificatur, quoties Episcopus vel inferior pastor non sit benevisus populo, scilicet, ut ait Innocentius III. in c. 10. h. t. 'si plebs adeo duræ cervicis existat ut proficere nequeat apud ipsum' præsto est Prælato ratio sufficiens recedendi ab officio. Ex quo deduci potest, odium malæ plebis non esse causam deponendi Episcopum; sed solum cum non unus sed plurimi ex populo ob malam voluntatem et falsas opiniones Episcopi vel pastoris inferioris recipere salutaria monita recusent, potest uterque recedere ab officio suo, præsertim si spes effulgeat conversionis populi per alium pastorem obtinendæ.

15. Secunda causa est grave scandalum quod populus patitur a suo pastore, quod scandalum non potest removeri, nisi Episcopus vel pastor inferior a loco suo recedant, beneficium resignantes. At Innocentius in c. 10. h. t. bene distinguendum esse ait inter scandalum pharisaicum, quod nempe procedit totum ex invidia malaque voluntate improborum hominum, et scandalum pusillorum. Primum dicit despiciendum esse, dicente Domino *Matth. 15. 'sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum'*. Secundum vero dicit esse impediendum, teste Domino *Matth. 18.* ubi ait: *'Qui scandalizaverit*

unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut . . . demergatur in profundum maris. Unde Paulus *1. Cor. 8. 'si esca scandalizaverit fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum'*. Quare causa legitima renunciationis erit quidem scandalum pusillorum, non vero scandalum pharisaicum.

16. Porro hæ causæ præsertim respiciunt Episcopi renunciationem, imo ex doctorum sententia non taxative sed demonstrative enunciatae fuerunt ab Innoc. in c. 10. h. t. et possunt etiam aptari renunciationi inferiorum dignitatum vel Beneficiorum curam animarum adnexam habentium et etiam aliorum Beneficiorum. Cæterum, ut quisque videt, non eadem gravitas causæ requiritur ad dimittendum canonicatum aut aliud Beneficium quodcumque quæ ad Episcopatum resignandum necessaria perhibetur.

17. Quarta qualitas renunciationis est ut a legitimo Superiore acceptetur. Necessitas hujus acceptationis derivat ex eo quod in Beneficiis reperiatur etiam notio oneris et officii, ad quod quis assumitur auctoritate Superioris. Expresse autem traditur necessitas hujus acceptationis in c. 4. h. t. Nec induci potest per consuetudinem ut quis propria auctoritate beneficium relinquat; consuetudo enim hæc esset potius corruptela juris c. 2. de consuet. Ex capite vero 1. h. t. in 6°. deprehendimus solummodo Rom. Pontificem posse supremo pontificatui ex se ipso nuncium dare, nec requiri acceptationem alicujus, ut valeat renunctio. Et merito; nam nullum alium in Ecclesia Rom. Pontifex habet Superiorem a quo dependeat. Pariter receptum est, reliquos clericos posse Beneficio libere renunciare, ut regularem ordinem ingrediantur, quia cuilibet clerico datum est statum perfectionis eligere; episcopum vero ut ingrediatur religionem indigere licentiam Rom. Pontificis c. 10. h. t. Et hoc ob specialem relationem Episcopi cum sua Ecclesia et cum Romano Pontifice, qui habet sollicitudinem omnium Ecclesiarum. In ordine autem ad Clericos inferiores Beneficium possidentes, animadvertendum est: 1°. juxta probatos Auctores, conveniens non esse, ut Clericus inconsulto Episcopo a Beneficio recedat ut religionem ingrediatur. Stationes enim Clericorum, idest officia sacra ordinationi Episcopi subduntur. 2°. Ex decreto S. Congr. super statu Regularium auctoritate Pii IX. publicato die 25. Jan. 1848, neminem in religione recipi posse, nisi testimoniales litteras proprii Ordinarii exhibeat. 3°. Renunciationem etiam Beneficii factam a novitio non valere, nisi fiat

cum licentia Episcopi vel ejus Vicarii Gen. intra duos menses proximos ante professionem, et ita ut renunciatio hæc viribus careat nisi sequatur professio ipsa religiosa. Ita, teste Fagnano, *com. ad cap. 23. de Regular. u. 19. ad sensum c. 16. sess. 25. de Regul. in Trident.* tenuit S. Congregatio Concilii.

18. Quæstio solvenda proponitur. Quinam est legitimus Superior qui excipiat renunciationem? Ex c. 8. h. t. resignatio facta in manu laici vel laicæ potestatis nulla est. Quod si Clericus resignaverit in manibus laici beneficium suum, illudque iterum ab eodem laico receperit, spoliandus est beneficio hujusmodi c. 8. h. t. Hæc autem dispositio facta est ad compescenda vitia Clericorum quorundam qui beneficia in manibus baronum regumque resignabant, ut eorumdem favorem consequerentur. Quare solummodo ecclesiasticus superior potest beneficiorum renunciationem acceptare. Et primo quidem si sermo sit de episcopatu, solus Rom. Pontifex jure nativo et ordinario renunciationem excipere potest c. 10. h. t. circa finem. Quoniam vero gubernia civilia nostris temporibus causa fuerunt episcopos ab officio remove, hinc in *Syllabo* an. 1864. sub *num. 51.* refertur damnata propositio sequens: *'Laicum gubernium habet jus deponendi ab officio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Rom. Pontifici in iis, quæ Episcopatum et Episcoporum respiciunt institutionem'*. Quid vero dicendum de renunciatione beneficiorum inferiorum? Ut determinetur Superior etc. distinguenda est resignatio pura et conditionata.

19. De pura resignatione valet regula, ut ille possit eam recipere, qui potest beneficium conferre, et ab eo Clericum deponere; *Gloss. in Clem. un. h. t.* verbo *'manibus'* et communis Doctorum sententia. Hinc qui ex præscriptione vel privilegio acquisivit solummodo jus conferendi aliquod beneficium, nequit excipere renunciationem, quia caret jurisdictione supra Clericum beneficiarium, ut eum possit beneficio destituere. Censentur enim pari gressu procedere collatio et depositio a jure beneficium possidendi; prout erui videtur ex c. 14. de Præb. in 6°. Hoc posito, cum ordinarius collator beneficiorum in Ecclesia sit Episcopus, dicens est Episcopus ordinarius superior qui acceptare potest renunciationes beneficiorum dioceseos; ceu expresse docet c. 4. h. t. Cum vero quædam Beneficia Romano Pontifici reservantur, ab eoque ordinario more conferuntur, horum renunciationes Romanus Pontifex recipere debet.